





TOMUS XXXIV.  
MISCELLANEOUM.

~~G. V. f.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.


VITEBERG.

V-45.

SIGNAT. MDCCCXIII.

6 b. 11.





THESES THEOLOGICÆ,  
DE  
PROPRIETATIBVS DEI,

QVAS

Deo Opt. & Max. fauente

PRÆSIDÆ

REVERENDO ET DOCTISSIMO  
VIRO PETRO CALAMINO,  
*S. Theologiae Doctore & Professore  
ordinario, in celeberrima Aca-  
demia Heidelbergensi,*

Ad disputandum proponit

LVCAS TRELCATIVS F.  
LONDINENSIS.

In Auditorio Theologico  
xii. Martij, hora viii.



HEIDELBERGÆ,  
Apud Abrahamum Smesmannum.  
ANNO cId. Id. xciv.







PARENTI MEO REVERENDO  
D. LVCÆ TRELCATIO S.  
Theologiæ Doctori & Professori ordi-  
nario, in Inclyta Academia Lugdunensi.

**H**ESSES has, velut Γόνιμον ἀνεπίδιον, ferè ex-  
tra tempus & otium à me conceptum & editum,  
tibi Reuerende Parens offero, pignus obseruan-  
tia meæ, quod paterna frontis erugatione,  
(spondet tuus in me affectus) excipies. Tui  
enim amoris testimonis, hoc vno (quod vnum iam possum)  
tibi à me debiti honoris, & amoris, testimonio, respondeo. Il-  
lud quidem ἀπεχρον, sed tamen quod auctoritatem sumens,  
ab amore tuo, & animo meo, fidem merebitur officij grati &  
fidi: Hoc ergo quaecumque est opera leuioris, boni consule,  
& excusa, maximè cum hoc tempore limatius quid dare vix  
possim, occupatus publicis aliis negotiis ad qua, prater opi-  
nionem aut votum meum, pertraxerunt me, opinio de me &  
voluntas aliorum. Vale. Heidelbergæ. 7. Martij 1594.







II

THESES THEOLOGICAE  
DE  
PROPRIETATIBVS DEI.

THESIS PRIMAE.



VMMA est ac indiuidua Essentiae  
Diuinæ VNITAS, in Personarum  
pluralitate ac distinctione : nam  
ESSE Patris est ESSE Filij, & Spi-  
ritus Sancti. Realis est ac discreta  
in Essentiae vnitae Personarum  
DISTINCTIO, nam, Esse Patrē,  
non est Esse Filium, & Spiritum Sanctum.

II.

Huius tum Vnitatis tum Distinctionis veritas ac  
perfectio spectatur in cognitione Attributorum, seu  
Proprietatum, tum Essentiae tum Personarum.

III.

PROPRIETATES Personarum, dicimus, Chara-  
cteristica Idiomata seu Attribute determinatiua, quæ  
à Personis proficiscendo, & in personis terminantur,  
& Personas determinant, tum in se, tum inter se.

IV,

Harum enim, ad Personas duplicem velut respe-  
ctum, consideramus & ponimus, Personalem, & No-  
tionalem, vtrumque in Relatione, sed diuerso modo  
ac gradu.

V.

Personalis respectus in illis Proprietatibus est, quæ

A ij con-



connotant quidem Relationem, maximè tamen & præcipuè (secundum vsum quem in sacris literis & apud Ecclesiasticos Doctores obtinuerunt) notant ac designant ipsa subiecta, seu hypostases. vt sunt Nomina Personarum, Pater, Filius, Spiritus Sanctus.

V I.

Notionalis respectus est in illis Proprietatibus, quæ notiones seu Relationes appellantur, quarum vsus est in sola relatione, vt sunt Nomina Generationis, Natiuitatis, Processionis.

V II.

PROPRIETATES Essentiæ, dicimus, Attributiona in Deo, Deo Essentialia, quibus & Essentiæ veritas in se innotescit, & ab aliis distinguitur, sic tamen vt nec ab Essentia, nec inter se realiter differant.

V III.

Non ab Essentia, quia sic sunt in vna Essentia, vt sint ipsa Essentia, vt idem hic sit Deus & quod in Deo.

V IX.

Deus enim est *ἀπλὴ ἐνέργεια*, quia diuina Essentia extra Actum nunquam fuit, ipseque Actus est Essentia, ipsæque Proprietates sunt Actus.

X.

Non inter se: quia quod in Deo est, vnum est. A prima autem vnitatem omnis prorsus differentia, omnisque numerus abesse debet.

X I.

Quia vero nec ab Essentia nec inter se differunt, nõ sunt qualitates mediæ inter potentiam & Actum: sed in Deo sunt intimæ, Actuales, Perpetuæ, & à forma actuque essentiali, vnde Deus sine compositione Materiæ & formæ, Substantia est: sine Qualitate, bonus,



III

nus, verus, iustus, &c. sine quantitate, aut termino  
Maximus, & Immensus: sine motu Actus: sine Passio-  
ne Misericors; sine situ, præsentissimus: Extra tem-  
pus, primus & nouissimus: sine habitu aut accessione  
rerum omnium Dominus.

XII.

Omnes enim Proprietates, de Deo essentialiter  
prædicantur: idque tum formaliter & in Abstracto,  
propter perfectionem Essentiæ indiuiduam: tum sub-  
iectiuè & in concreto propter veritatem Dei exi-  
stentis.

XIII.

Harum Proprietatum Aliæ Essentiam nobis de-  
notant, velut à Priori, tum negatiuè vt Infinitas, tum  
affirmatiuè vt simplicitas. Aliæ velut à posteriori idq;  
tum propriè, vt eæ quæ Deo primo & per se insunt,  
Potentia, Scientia, voluntas, tum impropriè vt eæ  
quæ translatiuè & secundum similitudinem *αὐθρῶπι-  
μα, ἰνὸν* de Deo dicuntur, vt Amor, Ira, &c.

XIV:

Quæ à Priori Deo insunt, soli & vni Deo secundum  
Essentiam, Actum, & vsum, tribuuntur eæq; Incom-  
municabiles dicuntur, vt Simplicitas, Infinitas.

XV.

**SIMPLICITAS** est in Deo penitus Indiuidua &  
Absoluta, nullam admittens aut diuersitatem aut cō-  
positionem partium seu accidentium, nec in se, nec  
in Personis, nec in Operationibus.

XVI.

Non in se: Nam Deus idem est quod sua Essentia,  
idem Essentia quod esse Dei, Deus enim est primus  
& purus actus, à quo aguntur omnia, & quo agunt  
omnia.

A iij

Non



XVII.

Non in Personis. Nam essentia est tota & eadem in omnibus. tota & eadem manens in singulis: unde Patrem dicimus esse in Filio, Filium in patre, Spiritum Sanctum in utroque, & singulum in singulis.

XVIII.

Non in operationibus: quia Essentia, Voluntas & Actio penitus idem sunt: sicut enim naturaliter fert Dei Essentia ita Vult & Agit, & vicissim quemadmodum Vult & Agit ita fert eius Essentia.

XIX.

Nec ergo in Deo differunt Actus & Actum, sed idem sunt; ita ut dum vnum à diuinitate videtur fieri, omnia simul efficiantur in vno: dum multa, vnum efficiatur in multis.

XX.

Ex hac Simplicitate summa Dei PERFECTIO concluditur: Quod enim vnum est & simplicissimum, illud omnium est sufficientissimum, maximèq; seipso contentum, eoque tum sibi ipsi, à seipso & in seipso ad omnia & in omnibus *αὐτάρκης*, tum aliis exemplar ac causa omnis perfectionis, Naturæ & Gratiæ.

XXI.

INFINITAS, in Deo, non est magnitudo aut multitudo quam non liceat pertransire, sed potestas immensa, seu actus immensitas, qua nec extrinsecus nec intrinsecus finitus est, in seipso vbique totus, seu intimè in omnibus rebus Essentia sua & Virtute.

XXII.

Essentia enim sua Deus vbique est, seu magis propriè loquendo est ipsum vbique, id est illud ipsum quod vbique dicimus, in omni loco sine Definitione, Dimensione aut Circumscriptione, in omni Tempore sine



re sine mutabilitate, Totus in rebus omnibus, Totus  
in singulis Totus in seipso.

XXIII.

Modus huius infinitatis est, vt nec multiplicetur,  
nec rarefiat nec diuersa fiat Dei Essentia, sed eadem  
tota & vna, omnibus & singulis præsens dicatur, à nul-  
lo tamen contenta, : Secundum quem modum Deū  
& vbique dicimus & nullibi: siquidem, quatenus à  
nullo continetur nusquam est, quatenus omnia con-  
tinet vbique est.

XXIV.

Virtute sua Deus vbiq; est, quia eo vniuersum hoc  
& perfectum est & afficitur, sic tamen vt nec perficiē-  
do virtus illa Dei debilitetur, est enim immensa &  
infinita, nunquam & nusquam deficiens: nec afficien-  
do, patiatur, est enim Deus superessentialis potesta-  
tis, tum comprehendens superficies omnium, tum se  
tota penetrans profunda rerum.

XXV.

Huius Infinitatis consecutarium necessarium, ac ve-  
lut per emanationem, est IMMUTABILITAS, Im-  
mutabilitatis, ÆTERNITAS.

XXVI.

Qui enim Infinitus est nec moueri potest, nec mu-  
tari, secundum qualitates exteriores & interiores, &  
cum in se & à se habeat plenitudinem perfectionis,  
Essentiæ & Virtutis, non potest extendi nec secundum  
Esse nec secundum Operationem.

XXVII.

Qui immutabilis est in naturam alteram minimè  
mutatur, sed totam possidet neque accipiens illam  
neque accepturus: sed sine tempore is est qui est, &  
qui



qui non est nunquam fit, atque illud est quod **ÆTER-**  
**NVM** vocamus.

**XXVIII.**

Quæ Proprietates à Posteriori Deo insunt, de illo quidem primò & per se dicuntur, sed tamen secundum illius tum Actus, tum Vfus analogiam in Creaturis, illis cōmunicantur, ac de illis in cōcreto prædicantur, quæ Communicabiles ab aliis dicuntur.

**XXIX.**

Hæ ergò in Deo sunt, Intimè, secundum principium, & immobiliter, in Creaturis accidentaliter, ex participatione, & mobili ratione, vt sunt ex præcipuis, Potentia, Scientia, Voluntas.

**XXX.**

**POTENTIA** in Deo est, quæ quæ vult omnia perfecte Agit, quæ omnia velle potest perfecte agere potest, Hęc Absoluta, illa Actualis dicitur, vtraq; Actiua est.

**XXXI.**

Vult autem Deus, tum actu interno & æterno, qui actus est in Deo vel secundum principium ac terminum, vt intelligere Dei, vel secundum principium quidem in Deo est, sed secundum terminum in alio, vt Prouidentia, Prædestinatio, & respectu huius actus, Potentia Actualis in Deo dicitur Immanens: tum actu externo & temporali, vt Creatio Redemptio & respectu huius actus Potentia actualis. in Deo dicitur Transiens.

**XXXII.**

Velle potest Infinita, prout Esse eius est Infinitum, Atque ita agere quoque potest Infinita, quæ absolute possibilis sunt, nec tamen vnquam ad certum rerum ordinem determinabuntur: Plura ergò quam facit si velit facere potest, nunquam tamen facere volet.

Sicut



## XXXIII.

Sicut vero non potest velle, nec Contraria (vt malum, bonum) nec Contradictoria (vt Esse non Esse) Ita nec agere potest, aut Contraria, quæ in natura maxime simplici, ac incōmutabili, subsistere nequeunt: aut Contradictoria, quæ in Essentia Dei falsitatis omnis experti, ac in veritate maximè absoluta & perfecta, locum non habent.

## XXXIV.

Hæc tamen non posse est potentia: Ille enim maximè potens est qui constanti & immutabili fruitur potestate, & ab ipso quod vnum est, nullo modo digreditur; Nam opposita posse est infirmitatis: omnino potentis in optimo permanere.

## XXXV.

Per & propter hanc Potentiam, cætera sunt Potentia ad agendum, quæ quo potentiora sunt eò plura faciunt.

## XXXVI.

SCIENTIA in Deo est, qua & Seipsum nouit in seipso, & extra se vniuersa & singula per seipsum, Actu indiuiduo & immutabili.

## XXXVII.

Seipsum enim solus Deus nouit & intelligit, actu intimo & perfectissimo, Infinitus, Infinitum se cōprehendens Infinitè: Nec tamen dum intelligendo se, se comprehendit, alius est intellectus Dei quo comprehendit, alius ipse quem comprehendit: nam Esse, Intelligere, Comprehendere, recipiuntur.

## XXXVIII.

Nouit quoque extra se vniuersa, & singula in communi & distincta cognitione, Materia, Forma, & vtriusque Accidentium, bonorum & malorum: ve-

B rum



rum per seipsum bona quidem nouit, mala per bonum oppositum.

XXXIX.

Nouit tamen & Seipsum & alia Actu Indiuiduo, quatenus vno Intelligentiæ ictu, totoque simul intuitu, vniuersam rerum distantiam vel localem vel temporalem complectitur, omnia simul & semper possidens quæ apud nos temporibus euoluuntur.

XL.

Indiuidua hæc, & præsentaria Dei scientia in Deo immutabilis est, tam contingentium quam necessariorum: Contingentibus sortem Contingentiæ imponens, vt & Necessariis legem Necessitatis.

XLI.

VOLUNTAS in Deo est qua Deus liberè & immutabiliter, vult suam gloriam, vt Finem, & alia omnia vt Media ad hunc finem.

XLII.

Hæc voluntas cum sit & Finis & Mediorum, prima & summa est causa rerum, causas reliquas simul in se complectens, easque primæ illi causæ subordinans.

XLIII.

Licet voluntas sit vna in vna Essentia, ex ratione tamen obiectorum & effectuum bonorum & malorum, distinguimus illam in Beneplacitum, & Placitum: ratione enim effectuum bonorum, quorum Deus finem, & media intendit primo & per se, Beneplacitum dicimus illam voluntatem: ratione vero effectuum malorum, in quibus Deus finem quidem primo & per se, sed non ipsa media nisi propter finem intendit, Placitum dicimus.

Huius



XLIV.

Huius Placiti & Beneplaciti voluntas in Deo est  
immutabilis, vt nec falli nec fallere possit.

XLV.

Non falli: respectu voluntatis illius Arcanæ, secun-  
dum quam Deus ab æterno omnia præsciuit, deter-  
minauit, voluit.

XLVI.

Non fallere: respectu voluntatis illius reuelatæ,  
secundum quam Deus voluntatis illius æternæ scien-  
tiam ac reuelationem nobis communicauit, in iis re-  
bus, quæ nobis & scibiles sunt ex modo communi-  
cationis, & scitu vtilis ad salutem nostram quibus  
communicantur.

FINIS.









Umg. VI 45

ULB Halle 3  
002 379 767



s. b.


WDA












B.I.G.

Farbkarte #13

31.

THESES THEOLOGICÆ,  
DE  
PROPRIETATIBVS DEI,  
QVAS  
Deo Opt. & Max. fauente  
PRÆSIDÆ  
REVERENDO ET DOCTISSIMO  
VIRO PETRO CALAMINO,  
*S. Theologiae Doctore & Professore  
ordinario, in celeberrima Aca-  
demia Heidelbergensi,*  
Ad disputandum proponit  
LVCAS TRELCATIVS F.  
LONDINENSIS.  
In Auditorio Theologico  
xii. Martij, hora viii.  
  
HEIDELBERGÆ,  
Apud Abrahamum Smesmannum.  
ANNO c. l. o. l. o. xciv.

LI

